Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Quanto honore Dei filius hominis affecerit, quando carnem humanam assumpsit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

ris non fraudari: vis cœlorum, Chriſti particeps eſſe: vis verè dicere Chriſtum pro te natum & mortuum eſſe: fac quæ dixi: compatere illi, obediens eſto ei; monita illius ſequere: tenebras peccatorum fuge: & in lumine diuinæ gratiæ permane. Sic enim te diſponens, ſine metu dicere potes B. Virgini, vt te filio ſuo qui pro te naſcendo, dignatus eſt tuus eſſe, te commendet.

TVLIT ESSE TVVS.

Quanto honore Dei filius homines affecerit, quando carnem humanã aſſumpſit.

CONSIDERATIO.

Quod Dei filius carnem aſſumpſerit, opus eſt magnæ dignationis & admirationis.

S. Mater Eccleſia ſtupore atque admiratione illius charitatis, quod Deus homo fieri dignatus eſt, defixa, in has voces erupit: *O admirabile commercium, creator generis humani, animatum corpus ſumens, de virgine naſci dignatus eſt & procedens homo ſine ſemine largitus eſt*

nobis

nobis ſuã Deitatem. Dignatus eſt, inquit Eccleſia, quaſi diceret, actum fecit profundiſſimæ humilitatis, & interminatę bonitatis ac miſericordiæ. B. Virg. Maria plena quidem erat gratia & virtutibus, ſicuti ſuperius declaratum eſt. At nihilominus nulla inter ipſam & Dei filium erat proportio. Illa namq; erat creatura, hic vero creator. Et tamen vti S. Paulus ait, *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* hoc eſt, naturam humanam ſibi vniens & hominis formam aſſumens, vt homines ſaluaret. O actum verè admirabilem: ô actum extremæ humilitatis & miſericordiæ! Quod ſi quæras quomodo fieri poſſit, vt duę naturæ in vnam perſonam coaleſcant: Reſpondebit Eccleſia cum S. Athanaſio: quod ſicut ex anima rationali & carne vnus conſtituitur homo: ita ex homine ac Deo vnum fieri Chriſtum, qui Deus & homo ſimul ſit. Verum hoc loco non eſt explicandum hoc myſterium: admirandum potius eſt, atque agnoſcendum

Luc. 1.

Philip. 2.

Quomodo in Chriſto duæ naturæ vnum ſint.

S. Athan. in ſymbolo.

dum ſingulare illud beneficiũ quod in eo nobis collatum eſt. Per hanc enim naturæ humanæ cum diuina coniunctionem, natura humana ad eo nobilitata eſt, vt D. Auguſt. ait, vt altius euehi, & excellentius nobilitari non potuerit. Quæ enim maior nobilitas ei communicari potuit, quam quod ſummo Deo affinitate iungeretur? Quid tibi videtur de tanto beneficio? Cum Dauidi nunciaretur Saulem illum ſibi in generum cooptare conſtituiſſe, illis qui hunc ei nuncium deferebant inquit: *Num parum videtur vobis generum eſſe Regis?* indicare volens hanc eximiam eſſe gratiam & ſingularem prærogatiuam. Si Dauid tanti fecit terreni Regis affinitaté; quanti facienda eſt cognatio Regis Regum & Domini dominantium? Tu verè dicere potes Ieſum Chriſtum eſſe *os ex oſſibus tuis & carnem de carne tua.* & cum ille natura & nobilitate diuina illuſtris ſit, te huius nobilitatis etiam eſſe cõſortem.

Per naturæ noſtræ cum diuina in Chriſto vnionem homo plurimum nobilitatus eſt.

S. Auguſt.

1. Reg. 18.

Aſſue-

Eſter. 2.

Aſſerus Rex aſſumpſit ſibi in vxorem Heſther è Iudæorum ſtirpe prognatam: atque poſteaquam illã ſibi deſponſaſſet, coronam capiti eeius impoſuit atque regni ſui conſortem eſſe voluit. Hic honor à Rege Heſther exhibitus non in illa ſola perſtitit: ſed ad omnes ſe Iudæos extendit. Per illam enim Iudæi qui antea contemptui habebantur, opprimebatur, & ad necem quærebãtur, in ſpem ſalutis erecti, & amplis poſtea honoribus decorati fuêre. Aſſuerus hic typũ geſſit Ieſu Chriſti filij Dei, qui Heſther, hoc eſt, naturam humanam ſibi deſponſauit: atque illam ad cœleſte regnum euexit, atque in hoc vniuerſam progeniem humanam incredibiliter nobilitauit.

Cur voluerit Chriſtus in vtero virginis Mariæ carnem aſſumere.

Diligenter nihilominus aduerte hic actum quendam ſuauiſſimum & ſingularem diuinæ prouidentiæ & bonitatis, quod voluit hanc vnionem in vtero B. Virginis Mariæ perfici, vt haberent matrem ad quã coufugere poſſent omnes qui ad i-

pſum

S. Bernard. in illud Apoc. ſignum magnum.

pſum accedere non audent. Quod ſancti Eccleſiæ Doctores confirmant; quibus tu fidem adhibe, & credendo hac oportunitate vtere.

Perge itaque optimam & benigniſſimam hanc matrem rogare, vt ſuas, preces cum tuis offerre dignetur ei, qui naturam tuam ſibi vniens, te vehementer nobilitauit, & ſuæ naturæ conſortem fecit. Atque vt imiteris illum, qui tua cauſa humiliari dedignatus non eſt: & ne nobilitate illa quam tibi communicauit ſpolieris, duo ſeruare ſtatue.

Duo illi obſeruanda qui Chriſtū imitari velit.

Prius eſt: vt nunquam hominem aliquem, quantumlibet vilis & contemptibilis videatur aſperneris. Alterum eſt: nihil vnquam indignum hac nobilitate committas. Magnum crimen eſt de ſeipſo elatius ſentire quam par eſt: at alios contemptui habere quantumuis abiecti eſſe videantur, crimen eſt Phariſæo illi proprium, qui, vti S. Lucas Euangeliſta refert, ſua bona opera commemorans ac ſeipſum iuſtificans, humilem publicanum aſpernabatur.

Luc. 18.

Si

Si autem magni criminis eſt alienos deſpicere, quanti ſceleris erit, proprios parentes & cognatos quando pauperiores & tenuioris conditionis ſunt, deſpicatui habere, atq; propter illos erubeſcere? Christus ipſe crimen hoc exemplo ſuo condemnauit. Etenim cum poſſet ſibi coniungere naturam Angelicam, noſtra longè nobiliorem: aut cum noſtram ſibi copulare vellet, eligere ſibi in matrem, potentiſſimi alicuius Monarchæ filiam, id tamen non fecit. *Nuſquam enim*, vt S. Paulus Apoſtolus ait, *Angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Matrem verò humillimæ conditionis elegit, pauperi carpentario deſponſatam, cui ſe cum omni humilitate & obedientia Dei filius ſubmiſit.

Quanti criminis ſit, propter parentes pauperes erubeſcere.

Hebr. 2.

Quo igitur pudore ſuffundi æquum eſt illos, qui nobilitatẽ progeniei ſuæ iactitant & magni pendunt, illos etiam qui cum ad meliorem aliquam fortunam aſcenderint, parentes & cognatos ſuos pau-

Reprehenduntur quĩ de generis nobilitate ac diuitiis gloriantur.

peres aſpernantur: & agnoſcere vix volunt. O quanto melius facerent ſi ſe humiliarent, & pluris æſtimarent nobilitatem Incarnatione filij Dei illis partam & collatam, quam illam quam ipſi ſibi acquiſiuerunt, aut hæreditario iure tranſmiſſam, ab auis, proauis, atque atauis acceperunt? Solent hi filios ſuos & ſanguine ſibi coniunctos frequenter adhortari, ne flagitium aliquod deſignent, per quod macula quædam toti progeniei inuri, & natalium ſplendor obſcurari poſſit: ac nulla interim cura ſolicitantur, ne quid committant quod Dei filios, & Ieſu Chriſti cognatos minimè deceat. Noli ſic agere Anima Chriſtiana, ſed agnoſcens, vti S. Leo Papa monet, dignitatē tuam, & per Incarnationē filij Dei, diuinæ cōſors facta naturæ, noli in veterē vilitatē degeneri cōuerſatione redire. Ita cōſulit ſanctus hic Pontifex: quod tu etiam à Deo per B. Virginis interceſſionem poſtulare debes. Quod ſi viua cum fide, & ardenti aſſequendi de-

S. Leo ſer. 8. de natiu. Domini.

di deſiderio poſtulaueris, Deus te voti tui compotem efficiet, atque hac ratione vehementer roborabe-ris aduerſus ventos & procellas, quæ in hoc mari nauiculam tuam exagitant.

Hactenus generatim intellexiſti damna & pericula nauigationis tuæ, atque eadem ratione B. Virgi-nis opem generaliter tantum im-ploraſti. Nunc vero conſideranda tibi ſunt, vti huius hymni verſus proximè ſequentes indicant, peri-cula ſpecialia, & auxilium ſpeciale ad illa effugienda implorandum.

Quapropter vlterius pergens ſe-quentem quaternarium eadem qua præcedentes deuotione atque affectione re-cita.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos
Mites fac & caſtos.

Anima ſingularem B. Virginis caſtitatem & manſuetudinem admiratus atque pro eiſdem virtutibus impetrandis rogat.

MEDITATIO.

ROGAVI te Virgo glorioſa, vt orationes meas illi offerres qui pro me natus eſt. Petiui etiam vt mihi liberationem ab omnibus quæ nauigationis meæ curſum quouis modo præpedire poſſent impetrares. Sed generatim tantummodo. Tempus eſt vt ad particularia deſcendam. Peccata omnia impedimento & offendiculo mihi ſunt: paſſiones & affectiones inordinatæ ingẽtes procellas & tempeſtates cõtra